

DISPUTATIO XXVIII.

propri

De detractione, contumeliam & susurratione.

PRæter injustitiam, quâ læditur homo ab altero in vita, membris, & bonis fortunæ, aliæ sunt injus-
titæ species, quibus impetuntur bona vitâ & mem-
bris quidem inferiora, attamen bonis fortunæ excel-
lentiora videlicet: honor, fama, amicitia, aliaque
de quibus

Suppono 1. Quod honor secundum S.Th. hic Q 103.
sit quædam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.
unde duo requirit: imprimis ex parte honorati excell-
entes aliquam saltem ab alio apprehensam, vel se-
cundum sc, vel ad alios comparativè: quia non requi-
ritur, ut excellentia sit respectivè ad honorantem: cum
excellentior superior possit minus excellentem & infe-
tiorem honorare; sic Deus honorat Sanctos. Deinde
ex parte honorantis præter opinionem & conceptum
talis excellentiæ, requiritur illius protestatio per aliqua
signa exteriora vel verbis vel factis.

Suppono 2. Fama, prout in prælenti sumitur pro
bonâ famâ, est multorum existimatio bona communis
& publico sermone divulgata de moribus sive vita alte-
rius, unde fama & honor in hoc differunt, quod sci-
licet fama requirat multorum existimationem divulga-
tam de virtute alterius, honor autem potest etiam ab
unius opinione procedere; deinde fama non requirit
ordinationem aliquam ad illum, de quo existimatio
habetur, ut illi innotescat, sive intimetur talis existi-
matio; honor vero est quædam testificatio nostræ opi-
nionis intimata ei, quem honorare volumus.

Suppono 3. Fama bona & nomen bonum, quæ
sunt synonyma, alia est vera, alia falsa, alia abstra-
hens à vera & falsa; vera est, quæ veritate nititur, ita
ut

ut revera insit talis virtus, cuius existimatio habetur; fama hoc modo accepta meritò viro probo cordi esse debet præcipue propter salutem proximi: licet enim Deo simus probati per internam justitiam, nobis ipsis verò per propriæ conscientiæ testimonium, proximis tamen vix prodesse possumus, nisi apud eos bonum nomen obtineamus, bona fama falsa est, quæ veritati non est innixa, & difformis est à re per bonam famam significata, ut si homicida mansuetus, fur justus passim audiat; hæc in pretio distert à primâ sicut aurichalium à vero auro. Fama abstrahens à verâ & falsâ est, quando aliquis passim æstimatur bonus abstrahendo an verè vel falsò talis æstimetur, sive non determinando, an verè virtus aut alia bona qualitas ei, de quo est fama, insit, nec ne.

QUÆSTIO I.

An detractione & quando sit peccatum mortale?

Sicut bona temporalia auferuntur, vel clam eo aut ejus nomine relicto custode per furtum ut velit turans Dominum latere injustam ablationem, vel palam renitente Domino vel altero loco Domini rem custodiente per rapinam, ita fama & honor dupliciter læduntur vel occultè, ut quis velit eum, qui læditur, latere ipsam læsionem, vel ut velit deduci ipsam læsionem in notitiam læsi. Priori modo læditur fama per detractionem, posteriori modo per contumeliam violatur honor & quandoque simul fama.

Nota 1. Detractione est denigratio occulta famæ alienæ. *Dicitur 1.* Denigratio: quia sicut contumelia, de qua postea, honorem, sic detractione minuit famam vel bonam existimationem, quam alii de homine, cui detrahitur habent. *Dicitur 2.* occulta, per quod etiam à contumelia distinguitur: quia, si in præsentia alterius & aliorum grave crimen affingatur

vel

De DETRACTIO. CONTUME. & SUSURRA. 63

vel reueletur, est quidem detractio, sed non sola, cum & fama & honor laedatur. *Dicitur 3. iustitia:* quia omnis detractio vel est contra justitiam vel ad minus contra charitatem. *Dicitur 4. fama aliena,* quia aliquis seipsum infamando propriè non detrahit: cum sibi ipsi injuriam infette nequeat.

Nota 2. Detractio est duplex: formalis & materialis; formalis est, quando ex animo infamandi alterum probrosa de illo dicuntur, sive sequatur imminutio famae, sive non sequatur, quia v. g. vilis est persona, aut alius fide dignus contradixit, aut audientes non crediderunt, & haec nunquam à malitia exuitar. Materialis est, quando crimina vel defectus alterius deteguntur non ex animo infamandi, sed ex alio motivo, quod si honestum & justum fuerit, excusat à peccato; alias si ex levitate vel inconsideratione culpabili verba infamatoria de alio dicantur, est interpretativa detractio: quia laeditur iuste & culpabiliter fama proximi.

Nota 3. Detractio fit vel directe vel indirecte: directe fit ex parte voluntatis, si quis intendendo infamacionem alterius loquitur, ex parte actus fit imprimis fallum crimen alteri imponendo, quæ omnium pessima est. Deinde peccatum vel defectum alterius augendo vel aggravando. Tertiò crimen occultum revelando. Quartò bonum ab alio factum male interpretando: qui modi exprimuntur hoc versu:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Indirecte detractio fit, quando quis incaute aut inordinate loquitur talia, ex quibus sequitur laesio famæ, aut etiam negligit loqui, dum est loquendus, unde haec contingit quatuor modis: imprimis bonum alterius negando. Deinde bonum alterius minuendo. Tertiò bonum alterius reticendo. Quartò

2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. E alium

alium frigidè laudando & complectuntur hoc
versu:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudat ver remisse.

Huc reducuntur alii modi detrahendi: ut quando aliquis crimen occultum se audivisse narrat, attamen non posse credere, asseverat, si quis alium laudet, & in fine exceptionem faciat, si quis referat se aliquid scire de altero, quod non audeat dicere, quod saepe magis nocet alienæ famæ, quam si aliquid probrosi expressè asseveraretur, eò quod homines ad malè suspicandum & judicandum proclives pessimum quidvis aestiment subesse.

DICO 1. *Detractio per se loquendo est peccatum mortale S. Th. hic. Q. 73. A. 2. O.*

Probatur 1. Ex sacra Scriptura Rom. 1. v. 30. inter eos peccatores qui digni sunt morte numerantur detractores. Ps. 33. homini qui vult vitam videlicet æternam, quæ sola vera vita est, dicitur: prohibe linguam tuam à malo Jac. 4. v. 11. nolite detrahere alterutrum fratres, qui detrahit fratri.... detrahit legi: quod idem est ac despicit & contemnit legem quasi indignam, quæ observetur.

2. Ratione: quo lœditur proximus in bono notabili, quod merito pluris aestimat ac bona fortunæ, est peccatum mortale: cum repugnet charitati; atqui detractione lœditur proximus in bono notabili & pretioso videlicet famâ, de quo Eccles. 41. v. 15. curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni,

DICO 2. Si verba, per qua fama alterius diminuitur, proferat aliquis.... ex animi levitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus ledat. S. D. loc. cit.

Probatur

Probatur : Peccata locutionis instantum sunt gra-
via vel levia in quantum verba substant intentioni
proferentis vel formalis vel interpretativa, ergo si
proferens non intendat grave damnum proximi,
nec in tali circumstantia proferat, in qua advertit
vel advertere potest & debet, proximo grave nocu-
mentum adferri, non peccat graviter; ut autem
hæc conclusio ad praxin applicetur, ad discernen-
dam gravitatem vel levitatem detractionis omnes
circumstantiae: quis, quid, ubi, coram quibus, cui,
quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, sunt pon-
derandæ juxta sequentia principia ex quibus casus
particulares facile deducuntur:

Quis 1. Quis de alio malum revelet; nam si il-
le homo sit nullius fidei, sive, quia non intelligit ma-
teriam, in quâ detrahit, sive quia est homo vilius; sæ-
pè nullam faciet in animis audientium impressionem,
& ideo graviter non detrahet; econtrà si ob quali-
tates oppositas apud auditores, ad quos loquitur, est
magnæ fidei, efficacius imprimet malam de proxi-
mo opinionem, ideoque ceteris paribus gravius
etiam peccabit. 2. An is, qui crimen revelavit, id
jussus vel injussus fecerit: dum enim aliquis jussus
authoritate alias legitimâ crimen verum revelat, or-
dinariè saltem minus peccat: quia talis jussio sæpè
vel non est injusta, vel non tam manifestè est injus-
ta, ut saltem extenuet culpam, si non obstante jus-
sione reverè sit culpa aliqua; sic ex constitutione
Greg. XV. in his partibus tamen non itâ receptâ re-
velari & denuntiari debent Confessarii, qui perso-
nam, qualiscumque illa sit, in confessione sacramentali
vel ejus occasione ad inhonestâ incitaverint. Potest
etiam aliis superior hujusmodi revelationem quan-
doque ob justam causam præcipere, & tunc eidem
obediendo subditi non peccant, licet præcisâ juf-
sione verè detraherent.

E 2

Quid

Quid. Afferatur vel negetur : cum omnis negatio sit saltem implicita contradictorii affirmatio ; an crimen falsum imponatur, an solum crimen verum sed occultum reveletur : maxima namque inter illas detractiones est diversitas, sive detractionis naturam, sive effectus & documenta, quæ ex utraque detractione emergunt, attendamus : ad mortale enim, dum falsum crimen imponitur, sufficit minor materia, quam dum verum revelatur, ita nimirum, ut facile fieri possit, quod idem factum & sine peccato mortali referatur, dum verè contigit, nihilominus sit peccatum mortale id falsò imponere. Circà quantitatem autem materiæ levanda est hæc regula : revelatio defectus graviter probro si respectu personæ læsæ est detractione ex parte materiæ gravis, qualis non est eo ipso, quo peccatum mortale revelatur : sunt enim quædam peccata mortalia, quæ respectu quartundam personarum talia sunt, ut hujusmodi personæ non soleant de talibus defectibus etubescere, sed magis gloriari ; ut si quis dicat, militem pugnas suas jactitantem commisisse duellum ; nec revelatio solius peccati mortalis est revelatio defectus graviter probro si : quia sunt peccata levia, quæ revelata de persona, quæ est in summa æstimatione sanctitatis aut dignitatis, graviter bonam æstimationem lædat ; unde de viro gravi dicere : quod sit mendax sive quod crebro mentiatur, esset mortale, sic etiam revelare defectum aliquem patentum iam obliteratum, potest graviter redundare in opprobrium & contemptum filiorum v. g. quod parentes vel avi fuerint Judæi, suppliciis affecti, magi, quod filius sit natus ex adulterio &c. Ad materiæ parvitatem etiam pertinet peccata sub quibusdam generalibus verbis referre, ut si quis dicat : aliquem esse superbum, avarum,

iracun-

iracundum , non determinando aut exprimendo
actus commissos : quia hæc omnia ordinariè non
itâ accipiuntur , ut importent peccatum mortale es-
se commissum in talibus materiis , sed tantum quan-
dam inclinationem vel universalem defectum , econ-
tra in aliis nominibus , quibus id non convenit , etiam
sub generalibus verbis defectum revelare esset pec-
catum mortale , itâ non sine mortali diceretur de
aliquo , quod sit luxuriosus , vel fornicarius ; quia
talia nomina ingenerant auditoribus apprehensio-
nem , quod vitiis mortalibus sit obnoxius , ac actus
commiserit graviter probrosos , de quo similia di-
cuntur ; similiter defectus naturales alicuius referre
sive animi sive corporis ut : quod sit indoctus , indis-
cretus , cholericus , parvi judicii , defornitis &c.
Quia tales defectus non sunt culpabiles & commu-
nitate manifesti , vel de facili possunt manifestari ,
non est grave peccatum , si tamen similem defe-
ctuum revelatio impediret alium à consequendo ali-
quo temporali , vel si talis defectus præsenti objice-
retur in faciem , possunt esse mortale , non quidem
ob grave damnum , quod infertur famæ , sed in il-
lo temporali , à quo quis impeditur , vel ob gravem
erubescientiam causataim.

Ubi Fiat detractio : cum quædam in uno loco
sint multum probrosa , in alio parum , quædam
nullo modo v. g. in Germania , quod quis natus sit
ex haereticis parentibus .

Coram quibus Fiat : detractio enim pejor est , quæ
sit coram multis ; quo titulo cæteris paribus pessima
detractio est , quæ sit per libellos famulos ; sæpè
etiam econtrâ detractionis culpam minuit , aut om-
nino tollit , quod defectus alicuius referantur coram
talibus , quibus ipsemet , cui detrahitur , eos de-
tegi , non adeò agrè fert , aut ferre deberet . cæte-

70 DISPUTATIO XXVIII.

rūm qui crimen falsum imponit etiam coram uno solo, qui aliis illud non est dicurus, est reus peccati mortalis ob injuriam, quæ alteri irrogatur, eadem falsum crimen imponendo; quemadmodum enim judicium temerarium de aliquo delicto gravi est peccatum mortale, ita etiam in alio causare tale judicium est peccatum grave, quod certum est in crimine falso imposito, etiam probabilius est in crimine vero sed occulto, quod illud absque peccato mortali ne vel unico cordato sub secreto naturali ceteris paribus revelari possit, ita expresse docet S. Th. hic Q. 73. A. L. ad 2. etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte. Et ratio est: quia ad laedendum graviter famam alterius, non requiritur, ut detractor reddat proximum totaliter infamem, sed sufficit quod in parte famam ejus corrumpat; quemadmodum ut furtum sit gravis laesio in bonis fortunæ, non requiritur, quod reddat inopem eum, cui furatur, sed sufficit, quod in parte ejus substantiam notabiliter diminuat; dixi: ceteris paribus propter dicenda circa circumstantiam cur.

Cui Fiat detractio, multò siquidem detractio est deterior si per eam auferatur fama viri, qui alias fuisset reipublicæ aut Ecclesiæ utilis; qui est pars alicujus communitatis, per cuius diffamationem etiam communitas laeditur; qui est superior, & ideo diffamatus minus prodesse potest, quam si detrahatur famæ alicujus alterius, in quo nihil horum locum habet. Pejus quoque est ordinariè verum crimen revelare de aliquo, qui jam pridem ab eo est emendatus, præcipue si usque ad integrum vitæ probitatem pervenerit, quam tale referre de alio, qui in criminibus adhuc pergit, maximè si in illo ipso, quod de eo refertur, adhuc perseveret; fieri tamen potest

potest aliquando, ut vitæ totalis mutatio, sicut erat in SS. Paulo. Augustino. Maria Magdalena, sit adeò eminentis, ut prorsus obfuscet & absorbeat anteriora crimina sive infamiam, quæ ex iis nasci potuisset.

Quibus auxiliis. Deterius & non ex uno capite est publicare detractionem scripto & multò magis typō: eò quod talia infamationis instrumenta soleant dura-
re diutius, & se latius extendere.

Cur Fiat infamatio, præcipue dum est quæstio circà revelationem criminis verè commissi: illud enim potest ob justum finem sœpius revelari, ideoque intentio revelandi crimen alterius quandoque ex toto quandoque ex parte excusat. sic communiter admittunt DD. Quod revelare crimen verum occul-
tum uni vel alteri prudenti viro ad leniendum dolo-
rem offensæ, ad petendum confilium, ad sui consola-
tionem non sit peccatum: quia valde durum esset,
quod quis injurias acceptas nemini possit manifesta-
re; maximè quando talis utitur jure suo, & modo
proportionato vult lenire dolorem, quod fit per
compassionem amicorum.

Quomodo. An crimen occultum asseveranter dic-
tum, an relatum, ut ab aliis auditum, quod si di-
cat quis, se ab aliquibus personis vel valde vilibus
vel inimicis tale quid audivisse, quibus nulla sit fides
adhibenda, talis non committeret peccatum mor-
tale: quia hoc modo loquendi non inferret grave
damnum per se infamâ, eo quod, si audientes per
accidens concipient malam opinionem, non oritur
illud ex illo modo referendi audita, sed potius ex
levi credulitate auditorum; si tamen crima gravissima tali modo referrentur ut audita, foret mor-
tale: quia narratio sic facta ad minus generat du-
bium de malo alterius, vel suspicionem, quæ in cri-
minibus gravissimis magis infamat, quam certa scien-
tia.

ta in minus gravi, imo de quocunque criminis gravi occulto verior est sententia asserens; quod sine peccato mortali illud etiam ut auditum revelari non possit coram multis, nisi ut à personis levibus & omnino fide indignis auditum referatur; quia narratio etiam ex audito generat conceptum male famæ in auditoribus, qui aliis id referunt, & sic infamia ex tali narratione paulatim crescit, & tandem sit absolta & quasi certa; fama enim crescit eundo.

Quando. Vel tempus infamationis; cum unus idemque proximi defectus sit uno tempore probrosus, alio tempore non sit probrosus; sicuti est probrosus, si referatur in uno loco, & non si referatur in alio.

Q. I. Quando peccatum non sit occultum, ut de illo apud alios sine detractione loqui liceat?

Antequam redeatur nota tripliciter aliquid dici publicum vel notorium scilicet. Notorium de facto, de jure, & famosum. Notorium de facto est, quando crimen in praesentiâ multorum est patratum v. g. in foro vel platea publica, vel ubi passim ab omnibus videretur; ut si quis publicè concubinam habeat, & ejus filios domi alat. Notorium de jure simpliciter est, quod per publicam sententiam Judicis est tale; ut si reus sit condemnatus. Notorium de jure secundum quid est, quod per confessionem rei vel testium convictionem ante sententiam Judicis habetur. Famosum est, cuius fama ex sufficientibus indiciis orta ad multos pervenit, ita ut major pars pagi, vicinæ, parochiarum illud noverit, vel quod manifestum est majori parti alicujus congregationis nimirum collegii vel conventus, ubi non pauciores sunt, quam decem, ita, ut si in congregatione aliqua essent decem & sex illorum delictum scirent, delictum illud publicum & famosum esset respectu illius communitatis, non

tamen

De DETRACTIO. CONTOME. & SUSURRA. 73
tamen absolute respectu totius urbis aut parochiae,
Quibus notatis

1. Loqui de aliorum peccatis alias occultis coram illis, quibus nota sunt, est actus indifferens, & ex fine potest honestari vel depravari: si enim ex animi levitate vel curiositate quis similia narrat, erit actus otiosus, & est peccatum veniale; si ex odio adversus personam, ut, quantum est de se, illam amplius diffameret, erit peccatum grave contra charitatem, nunquam tamen contra justitiam, nisi in preparatione animi: quia per talen revelationem nihil famæ detrahitur proximo, qui jam est apud audientes diffamatus: si revelatio talium criminum fiat ad terrorem aliorum, ut exemplo lapsi & punientia similibus delictis abstineant, vel ex alio recto fine, erit actus virtutis.

2. Narrate grave crimen notorium in illo loco, in quo refertur, licet audientes illud adhuc ignorent, non est grave peccatum detractionis: ut constat ex communiusu moratorum, qui, quando aliquod delictum committitur publicè in praesentia populi, sine scrupulo illud narrant omnibus absentibus, & Ratio est: quia ab eo, cui sic detrahitur, vel nulla vel minima fama auferatur: cum per accidens sit, quod ignoretur ab illis paucis, & infamia illa mortaliter loquendo statim sit perventura ad incolas totius urbis, unde illa extensio infamiae minimum detrimentum infert, suppositâ publicâ infamâ, sique si absque causa tales defectus enarentur, erit peccatum veniale, si cum causa, nullum erit peccatum.

3. Etiam non est mortale crimen, in uno loco publicum referre in alio, si, inspectâ conditione hominum & convictu illorum, faciliter esset perventura illuc notitia criminis: quia sic parvum aut nullum detrimentum fama patitur, sive in - sive justè

in primo loco sit delictum publicatum, dummodo delictum sit vere commissum: quia eo ipso, quod factum sit publicum, diffamatus jus non habet, ut à delicto referendo alii abstineant: licet enim per injuriam nullus jus amittat, potest tamen quis jus amittere per id, quod ad injuriam per alios factam consequitur: nimis per hoc, quod ex malitia alterius crimen sit factum publicum, per publicitatem diffamatus amittit jus, ut homines de se aliter sentiant & loquantur; si autem crimen divulgatum falsum esset, nullatenus posset ab his, qui sciunt veritatem, illud crimen referri, aut ulterius protrahi sine gravi peccato injustitiae.

4. Si quis in uno loco sit diffamatus publicitate juris simplicitate tali: nimis per publicam Judicis sententiam, potest tam pœna quam crimen, de quo est diffamatus, in alio etiam distinto loco, ad quem non esset facile notitia criminis vel pœnæ preventura, narrari absque peccato gravi. *Ratio est:* quia Judex licet publicat tamen sententiam sine ullâ restrictione, & executioni mandat in loco publico tempore majoris concursus populi, ut in omnium notitiam veniat ad exemplum justitiae & terrorem impiorum, ideoque sic absolute infamati nullum jus habent ad famam; sitamen sententia non sit omnino publica, sed intrâ limites alicuius congregationis vel communitatis duntaxat: ut sententiae latæ à Praelatis intrâ unum monasterium vel religionem: non potest infamia extendi extrâ religionem vel monasterium: nisi alias ex circumstantiis credatur moraliter brevi tempore crimen extrâ monasterium esse publicandum.

5. Si crimen sit publicum solum publicitate juris secundum quid tali videlicet per testium depositi-
nam relati confessionem, ante prolatam sententiam

Judicis

Judicis est peccatum ex genere suo mortale tale crimen referre, si alias publicitate facti crimen non sit notorium. *Ratio est* : quia ex vi hujus publicitatis fama nondum est desperita, nec confessus aut convictus reus per justam sententiam Judicis est famâ privatus.

5. Non est peccatum grave nec contrâ justitiam nec contrâ charitatem peccata publica absolute & simpliciter publicitate facti : ea nimurum, quæ in aliquo regno vel communitate vel civitate sunt notoria & famosa, publicare in alio loco, ubi de eis non datur notitia, etiamsi ad talem locum non esset de facili ventura similis notitia. *Ratio est* : quia semel publicatâ alicubi delicti infamia omnes habent jus ad id cognoscendum, ut in convictu humano se incolumes servent, & caveant à publicis criminibus; & ex hoc capite excusantur historici, qui posteris referunt crimina, quæ suò tempore fuerunt publica; quando verò is, qui olim diffamatus erat, famam honestè vivendo recuperasset, tunc referre crimina præterita apud nescientes vel eorum immemores est peccatum grave non tantum contrâ charitatem sed & justitiam. *Ratio est* : quia quando per publicam emendationem vel temporis lapsum penitus abolita fuit prior infamia, tunc fama illius est reduta in illum statum, iu quo erat, antequam crimen esset publicatum; si tamen præterita infamia non est oblivioni tradita, licet crimina forent emenda, non peccaret graviter crimina præterita referens.

Denique de infamato in uno peccati genere nec in illo, nec in alio loco licet referre peccata occultâ alterius generis. quæ cum peccato publico nullum habent conjunctionem; *Ratio est* : quia talis adhuc habet jus famæ quoad alias virtutes, circâ quas nondum

nondum diffamatus est, non enim dicit fama aliquid simplex sed diversas partes videlicet bonum nomen in quoconque genere alicujus virtutis. Unde peccaret graviter qui de notorio fornicatore vel ebrioso diceret, quod sit hæreticus vel perjurus; cum hæc cum prioribus nullam habeant connexionem aut affinitatem, aliud est, si de ebrioso diceretur, quod bona sua dilapidet, de fornicatore, quod miscuerit turpes sermones, scriptamatorias litteras.

Q. 2. Quando revelatio criminis occulti ob necessitatem propriam vel alienam à peccato detractionis excusat?

R. In casibus sequentibus 1. quando revelatio criminis occulti fit ad denuntiandum delinquentem, ut emendetur, vel ad accusandum ob bonum publicum, servatis debitiss circumstantiis, non est detractio; quia ordo charitatis præfert bonum spirituale vel bonum publicum bono temporali vel particulari; unde si Filius vel servus vel subditus non bene vivant, nec aliter corrigi possint, licitum est crimina denuntiare parentibus, Domino, superiori, ut corrigantur. *Dixi:* nec aliter corrigi possint: quia si per secretam admonitionem spes esset correctionis, parcendum esset famæ etiam apud superiorem: quia subditus ægrius fert distinctionem apud superiorem, quam apud æqualem. Attendum etiam est, ut crimen aliis non reveleatur, quam illis, qui corrige posse possunt.

2. Licitum est, crimina occulta detegere ad evitandum grave damnum commune vel proprium vel aliorum, sive in vita, sive in membris, sive in bonis fortunæ; ut si imponatur homicidium commissum innocentis, licitum est aperire authorem occultum; si noscas, Petram esse furem, potes illos monere, cum quibus habitat, ut sibi caveant, *Ratio est:* quia ordo charitatis & justitiae petet, ut fama alterius conser-

DE DETRACTIO. CONTUME. & SUSURRAT. 75

servetur sine præjudicio. Servandum etiam est moderamen inculpatæ tutelæ, ut proximus non plus diffameretur, quam necessarium sit ad præcavendum dampnum imminens; si enim aliter vitari potest sine detimento famæ proximi, vel cum minori damno, id fieri debet, immo si ad intentum sufficeret manifestare crimen sub secreto naturali, id faciendum foret, ut fama proximi tanto minus lœdatur.

3. Licitum est detegere occultum crimen, quando id expedit bono communis vel ipsius diffamati; ut si quis cum Ecclesiæ vel reipublicæ vel ordinis aliqui jus publico grave detimento ad dignitatem, beneficium vel officium sit promovendus; si aliquis profiteatur artem medicam, quam non intelligit; velit ingredi religionem, in qua profiteti est incapax &c. occulta illius vitia vel defectus prodere est licitum, modo id prudenter fiat, nec citra necessitatem, nec pluribus quam oporteat, & ex charitate bonique publici studio.

4. Licet occultum crimen alterius prodere, si iugulâ illius vexatione aliter liberari non possis, modo servetur moderamen, nec plura nec graviora ex illius criminibus occultis revelentur, quam postulet justæ defensionis necessitas, nec ex vindictæ sed justæ defensionis intentione id fiat; sic reus non peccat & multò minus innocens, qui testimoniis illegitimorum testimonia, quibus damnandus vel opprimendus est, repellit vero illorum crimine detecto & probato de quo supra Disput. XXIV. Q. III.

Q. 3. An ad evitanda gravia dama ille, qui notitiam criminis occulti injustè per vim vel fraudem accepit v. g. aperiendo litteras clausas, possit crimen occultum alterius revelare?

R. dent plures negative: quia qui notitiam criminis occulti injustè acquisivit, se habere debet, ac si non sciret;

sciret: sicut enim non potest ad proprium vel alienum commodum injustam criminis occulti notitiam acquirere, sic etiam non potest notitiâ hoc modo acquisitâ ad evitandum grave damnum uti. Oppositum tamen videtur verius: quia licet injuriam fecerit injustè acquirendo secreti notitiam. postquam tamen acquisivit illam notitiam, illâ in gravi necessitate uti potest, sicut etiam qui injustè per furtum v. g. alteri equum abduxit, licet per furtum injuriam fecerit, postquam tamen equum apud se habet, potest illo absque injuriâ uti in necessitate v. g. si sit periculum vitæ amittendæ.

Q. 4. An possit etiam mortuis fieri detractio?

R. Affirmative: tum quia ipsi mortui cum bonâ famâ absque injuriâ bono nomine, quod post funera vivit, spoliari nequeunt; tum etiam quia mortuorum infamia redundat sœpius in infamiam vivorum, qui, propter conjunctionem cum suis post mortem infamatis, infames fiunt; quare lethalis peccati rei sunt, qui occulta principum aliorumque illustrium virorum virtus litteris consignant: quamvis enim prava illorum, quorum res gestæ in historiam congeruntur, facta, quæ publicè & ad hominum scandalum admiserunt, scriptis consignare liceat posteritatis informandæ studio, utque metus infamiae principes & illustres viros à virtutis cohibeat, arcana tamen crimina litteris mandare charitati & justitiæ adversatur, estque eò crudelior detractio, quod in mortuos sœviat vitamque honoris eripiat eis, qui extinctâ vitâ corporali in hominum memoriâ vivebant.

QUÆSTIO II.

An audiens detractionem graviter peccet & ad quid obligetur?

DE audiente detrahentes & detractiones optimè S. Bern. lib. 2. de consid. cap. 13. Detrahere aut detra-

detrahentem audire . quod horum damnabilius sit, non facile dixerim : Quia verò diversimodè se habent audientes , nec eundem ad eos , qui detrahunt , dicunt ordinem , ut sciatur , quomodo peccent , & qualis sit obligatio impediendi detractionem.

DICO. Si aliquis detractiones audiat absque resistentiâ.... si quidem inducat cum ad detrahendum vel saltem placeat ei detractione propter odium ejus , cui detrahitur , non minus peccat , quam detrahens , & quandoque magis si verò non placeat ei peccatum sed ex timore vel negligentia vel etiam verecundiâ quādam omittat repellere detrahentem , peccat ... plerumque venialiter quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale. S. Th hic Q. 73. a. 4. O.

Ratio generalis Conclusionis est : quia quilibet causans directè vel indirectè (non impediendo dum potest) damnum proximi in famâ , vel illud damnum volens , peccat pro diversitate damni & modi quo concurrevit ; atqui voluntariè audiens detractionem , causat vel directè vel indirectè , dum potest impedire & non impedit , damnum in famâ proximi ; ergo peccat & est illius peccati , quod committit detrahens , participes secundum sequentes differentias.

1. Si audiens detractionem alium interrogando , urgendo , applausu verbis aut gestibus ostendendo , sibi gratam esse detractionem , ad detrahendum incitet peccat mortaliter , & quidem gravius , quam ipse detrahens : quia non tantum peccat contrà justitiam in personam , cui detrahitur , sed etiam contrà charitatem in personam , quam ad detrahendum inducit , præbendo occasionem scandali ; excusari autem potest tum à peccato gravatum ab onere restitutionis , quod alias incurrit , si invincibiliter ignorabat detractionem esse futuram gravem , aut quia ipse solum ad levem rem incitabat , aut ad rem quam judicabat esse publi-

cam, & detrahens præter intentionem ad alia transi-
vit.

2. Gaudens & habens complacentiam in detractio-
ne alterius peccat mortaliter, non tamen contrà justi-
tiam: quia non est causa efficax damni alterius, sed
contrà charitatem, sicut habens complacentiam in tur-
to vel alio documento proximo illato, unde Apost.
ad Rom. 1. postquam v. 30. dixisset: *Detractores,*
Deo odibiles v. 32. subiungit: qui talia agunt, digni
sunt morte: *& non solum, qui ea faciunt, sed etiam*
qui consentiunt facientibus.

3. Magistratus, superior vel Prælatus tam illius, qui
detrahit, quam illius, cui detrahitur audiendo &
non avertendo, si commode possint, gravem detra-
ctionem, peccant mortaliter: quia specialiter ex chari-
tate obligantur per correctionem infamantis & infama-
ti damno occurrere; unde non tantum contrà charita-
tem, sed etiam contrà justitiam peccant, quia ex officio
curare debent, tum ne unus detrahatur, tum ne alter
detrahatur.

4. Inferior respectu superioris, vel ille, qui timet
ex resistentia damnum, vel qui credit auditores nullam
fidei præstituros detrahenti, vel qui dubitat: an de-
lictum sit publicum, quod refertur, permittendo tan-
tum detractionem non peccat. *Ratio est:* quia spes
non habet, quod ipso resistente detractio cessa^t, vel
absque sufficiente fundamento præsumere non debet,
alium injustè cum proximi damno similia referre.

5. Privatus audiens detractiones debet, si potest,
eam averttere, detractorem corrigendo verbis vel col-
loquim ad alia divettendo, vel saltem per vultum
tristem ostendendo, quod sibi dispiceat detractio juxta
illud Prov. 25. v. 23: *Ventus aquilo dissipat pluvias, &*
facies tristis linguam detrahentem:

6. Homo privatus, cui prouinde nec placet detrac-

Etio

atio ut est malum proximi, nec ad illam inducit, non peccat, nisi venialiter, si vel ex verecundia, vel ex negligentia, vel ex timore, non resistat detrahenti, nisi alteri damnum praeter infamiam immineret. Ratio illorum est tum quia plerumque privatus audiens detractionem non scit, an crimen sit publicum vel occultum: tum quia saepius privatus habet justam causam manifestandi crimen alterius: nam id facit vel consilium petendo vel dolorem suum ob injuriam illatam mitigando, tum quia audiens privatus verisimiliter credit se nihil profecturum esse, si discedat, aut conuetur loquendo impedire detrahentem: tum denique quia ordinariè timet offendam detrahentis.

Obj. Nemo tenetur plus diligere proximum quam seipsum; sed si teneatur resistere detrahenti, teneretur plus diligere proximum, quam seipsum: cum propriam detractionem quis permettere possit sine peccato, immo saepè meritorie.

R. Negando mi. ad probat, dico. quod in bonis necessariis aut æternæ salutis semper homo diligit plus se quam proximum, etiam dum bona proprio arbitrio subjecta negligit & proximi bonum promovet, sed in bonis proprio arbitrio subjectis proximus juri suo non cedit, sicut quilibet cedere potest, proinde proximi juri suo non cedentis damnum tenetur quis ex charitate vel etiam ex justitia impedire, qui proprium damnum ex amore Dei sustinere potest.

Q U A E S T I O III.

Quale peccatum susuratio & contumelia?

Suppono i. Sicut detractio famæ ita contumelia honoris & susuratio amicitiaz læsionem importat, est autem susuratio: verbum seminarans inter amicos discordiam vel est secreta oblocutio. quâ quis malum culpæ vel pœnæ alienæ vel alium defectum naturalem

2.2. *Theol. Schol. Pars posterior.* F vel

vel moralem inordinate cuiquam denuatia eo fine, ut justam, quae inter aliquos intercedit amicitiam dissolvat vel lœdat, impositum autem est nomen à susurso, quod significat secretum sermonem missitando instillare.

Suppono 2. Contumelia est dehonoratio alicujus per verba, quibus id, quod est contrà honorem alicujus, deducitur in notitiam ejus & aliorum. *Dicitur 1.* Dehonoratio alicujus: quia contumelia est contraria honori & testimonio externo excellentiae: est enim ad proximum vilipendendum & deprimendum potius, quam honorandum & exaltandum. *Dicitur 2.* Verbis facta: quia præcipue fit verbis, quibus contendit contumeliosus exprimere id, quod ad alium inhonorandum conducit, & si illud, quod exprimitur vel objicitur proximo, sit defectus culpæ, vocatur contumelia; si sit defectus naturæ vel prænæ, vocatur convitium, si sit defectus indigentiae præteritæ, maxime revocando in memoriam auxiliu in indigenti præstitum, vocatur improperium; nihil etiam obstat, licet defectus, qui alteri objiciuntur, sint veri; fit tamen etiam contumelia factis, quatenus hæc sunt signa expimentia id, quod est contrà alterius honorem; ut si fustibus aliquem cædas, ut ostendas, te eum vilipendere, est contumelia. *Dicitur 3.* Deducitur in notitiam ejus & aliorum: quod utrumque non semper requiritur, sed sufficit ad contumeliam, quod id, quod est contrà honorem, veniat ad notitiam patientis, & illi soli per verba inhonorantia aliquid dicatur; erit autem gravius peccatum, si in notitiam ejus & aliorum defectus, qui objiciuntur, deveniant, & quidem etit simul detractio, si defectus illi vel non sint veri vel occulti.

DICO 1. Susurratio est majus peccatum, quam detractio, & etiam quam contumelia: quia amicus est melior, quam honor. S. Th. hic Q. 74. A. 2. O.

Pro-

Probatur imprimis: quod susuratio sit peccatum ex genere suo mortale indicat S. Scriptura Levit. 19. v. 16. *Non eris criminator, nec susurro in populo* Prov. 6. v. 16. *Sex sunt, quae odit Dominus, & septimum detestatur animae ejus.* Quod declarat v. 19. *Eum, qui seminat inter fratres discordias.* Eccles. 28 v. 15. *Susurro & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* Et ratio est: quia susuratio privat proximum bono notabili, quod est bonum amicitiae, unde etiam est distinctum à detractione peccatum: quia susuratio dirimit amicitiam, detractio verò denigrat famam. Deinde est peccatum gravius detractione & contumeliam: quia lædit in bono magis estimabili; tollit enim amicitiam, quæ est bonum præstantius famâ & honore juxta illud Eccles. 6. v. 15. *Amico fidei nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.*

Obj. Susuratio vel eslet contrà charitatem tantum vel etiam contrà justitiam, non primum: quia S. Th. susurrationem ponit inter injurias verborum, consequenter non est tantum contrà charitatem, non secundum: quia susuratio tantum lædit in bono alteri indebito videlicet amicitia, quæ est aliquid indebitum.

R. Negando secundam partem subsumpti: licet enim amicitia sit bonum ab amico indebitum, attamen est strictè debitum, ne per fraudem vel dolum aut alias oblocutiones in illo bono indebito possidendo quis impeditatur, aut illud possessum alicui afferatur, hinc susurro, qui justam & laudabilem amicitiam secretis oblocutionibus dissolvit, tenetur ad restitutionem conjungendo rursus eos, quos ita disjunxit: & quorum legitimam amicitiam læsit, & absolvi non debet, donec illos. quos disjunxit, quantum fieri potest, inter se conciliet; aut si præstare id nequeat, pro-

damnis inde securis judicio viri prudentis & probi satisfaciat.

Gravitas hujus peccati desumenda est per ordinem ad personas, inter quas discordia seminatur, quæ quo magis sunt conjunctæ, eò gravior est dissolutio amicitiæ; hinc gravius peccat, qui inter vitum & uxorem, filios & parentes, famulos & Dominos, inter consanguineos & personas ejusdem familiæ, inter Religiosos ejusdem Monasterii, inter superiorem & subditos discordiam serit, quam qui amicitiam extraneam perturbat.

Dixi: justam & laudabilem: quia susurrones non sunt, qui mala alienæ culpæ vel pœnæ aut defectus naturales aperiunt, eo fine, ut dissolvant amicitiam utriusque saluti periculosam, aut in grave scandalum aliorum vergentem; item qui filiæ vel ejus parentibus ex charitate vel amicitiâ veros defectus proc̄i aperiunt, qui filiæ nuptias ambit, & in eorum affinitatem per fraudem & dolum irrepere nititur; qui mala subdito rum revelant superioribus, ad eorum emendationem, vel boni publici causâ; qui impediunt ne ad aulam & officia aditus pateat suspectæ fidei hominibus.

Q. An sit susurro, qui levem aliquem defectum absque ullâ detractione alicui detegit, ut alter non amplius sit tantus amicus?

R. Affirmativè; licet enim amicitia sit bonum gratuitum, attamen injiciam infert, qui me hoc bono gratuito possidendo etiam in parte privat, quo casu tam tamen venialiter peccat, si neque notabiliter amicitiam lædere intendat, neque talia dicat, quæ ex naturâ suâ apta sunt notabiliter lædere amicitiam.

DICO 2. Si intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba, qua profert, honorem alterius auferat; hoc propriè & per se est dicere convitum vel contumeliam,

De DETRACTIO. C. NTUM. & SUSURRA. 85
liam, Et hoc est peccatum mortale. S. Th. hic Q. 72.
A. 2. O.

Prima Pars patet ex suppositione secundâ.

Secunda Pars probatur: omne quod contrariatur charitati est peccatum mortale; atqui contumelia contrariatur charitati: quia infert damnum in honore, qui est bonum præstantius, quam divitiæ; unde inter morte dignos numerat Apost. Rom. 1. v. 30. contumeliosos. Et Christus Matth. 5. v. 22. Qui dixerit fratri suo Racha: reus erit concilia, qui autem dixerit, fatue. reus erit gehennæ ignis. Et quia contumelia est magis contrà voluntatem alterius, hinc cæteris paribus est gravius peccatum, quam detractio, sicut cæteris paribus rapina est gravior furto: qui enim contumelias irrogat, is quasi illatâ vi honorem tollit scienti & actu renienti, sicuti raptor tollit pecunias, qui autem detrahit occultè, & altero nesciente auffert famam, quasi furatur; unde ex hac causâ detractio minoris est culpæ, quam contumelia; eo quod habeat adjunctam quandam quasi reverentiam ergâ illum, cui nocetur, contumelia autem adfert apertum contemptum, potest tamen etiam contumelia esse peccatum veniale, vel ob levitatem se tenentem ex parte honoris: quia non intendit, nisi parum inhonorare, & modicum credit alterum contristandum, vel ob imperfectionem advertentiat, si quis ex subitâ passione protrumpat in verbum contumeliosum, non ex intentione dehonorandi. hinc saepius excusantur à peccato mortali parentes, heri &c, convitantes filios & domesticos: non enim intendunt dehonorare, sed potius corripere & reprehendere. Imò sicut verberare & percutere cum discretione possunt illi, qui alios corriganos habent causa disciplinæ, sic etiam convitum & contumeliam dicere possunt, ut confundantur & corriganter, & ita Christus aliquæ sancti fuerunt in

sacrâ Scripturâ in malevolos inventi , monet tamen S. Th. hic A. 2. ad 2. Ex S. Aug. rarissimè in correctionibus utendum esse verbis contumeliosis: quia subditi taliter correcti intelligunt , se à superioribus non ex charitate sed passione corrigi , fiuntque potius detriores quam meliores disciplinam non suscipientes.

Q. 1. An omnes contumeliae sint ejusdem speciei?

R. Quod omnes sint ejusdem speciei infimae , sicut omnia furta sunt ejusdem speciei injustitiae in bonis fortunæ : omnes enim contumeliae tendunt ad denigrandum honorem , licet intrà eandem speciem una sit aliâ gravior , quò gravius delictum vel defectus abjicitur.

Q. 2. An Christianus sit obligatus sibi illatas contumelias patienter ferre juxta monitum Christi: benedicite maledicentibus vobis?

R. Quandoque potest homo repellere illatas contumelias veris justisque verbis aut scriptis (nunquam tamen licet contumelias contumeliis , convitia convitiis repellere) vel etiam actione injuriarum , si necesse est tum ad reprimendum convitiatoris & contumeliosi hominis mendacium secundum illud Prov. 26. v. 5. Responde stulto juxta stultitudinem suam , ne sibi sapiens videatur. Tum ad suam dignitatem & autoritatem evendam propter bonum multorum . quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas ; alias quisque Christianus debet esse paratus animo ad contumelias patienter ferendas , si propriæ & aliorum lauti id expedire conspicerit , ita enim explicat S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte illa verba Christi Matth. 5. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam , præbe illi & alteram , ut scilicet homo paratus sit hoc facere , si opus sit , non tamen semper tenetur facere actu : quia & ipse Dominus hoc non fecit , sed

cum

DE DETRACTIO. CONTUME. & SUSURRA 87
cum accepisset alapam dixit : quid me cædis ? au-
daciā igitur contumeliosè convitantis potest,
qui læsus est, moderatè reprimere scilicet propter
officium charitatis , non propter cupiditatem pri-
vati honoris.

Ex dictis pro praxi inferes 1. Tunc contume-
liam vel convitum mortale peccatum esse , si animo
dedecorandi proximum & honorem ipsius violandi
preferatur , aut tam grave sit convitum temerè pro-
latum , ut attentâ personæ conditione & spectatis
circumstantiis ejus hōnorem notabiliter lœdat.

2. Si absque animo lœdendi ex levitate aut joci
gratia vel causa correptionis verba convitii aut con-
tumeliaz dicantur , & secundum se aut spectatâ qua-
litate personarum ex circumstantiis sint levia , non
ex prævia deliberatione prolata , sed ex subreptione ,
sunt venialia duntaxat & quandoque nulla peccata.

3. Qui profert convitia levia quidem , novit
tamen proximum levis peccati aut alterius defectus
objectione graviter esse contristandum , vel grave
damnum esse passurum , aut si convitiator grave de-
decus ipsi hujusmodi verbis inurere intendat , le-
thalis peccati reus erit ; & econtra , si id , quod
objicitur , absolutè quidem & per se sit grave , atta-
men attentâ conditione vilis personæ aut more pa-
trio loquendi grave non censeatur , non est peccatum
mortale. Sic homines infimæ conditionis , cum irâ fer-
vente certis convitiis & contumeliis apud plebejos
usitatis fœse lacescant , peccati mortalis non sunt dam-
nandi : quia nec iis inter rixandum objici solitis fides
adhibetur , nec vilium hujusmodi personarum ho-
nor graviter his verborum injuriis lœditur.

4. Si is , qui contumeliis oneratur eo animo ta-
ceat , ut contumeliantem magis ad iram provocet ,
hoc ad vindictam pertinet , si vero taceat volens da-

re locum ita hoc est laudabile, unde Eccles. 8. dicitur non litiges cum homine lingua sed non strues insignem illius ligna ita S. D. hic Q. 72. A. 3. ad 3.

APPENDIX.

De aliis verborum injuriis.

Præter susurrationem, contumeliam & detractionem infestat proximo aliis quoque modis injuria videlicet verbis vel formalibus vel virtualibus irridendo, maledicendo, revelando secretum, aut internâ cogitatione temere judicando, suspicando. de quibus pro notitiâ

Q. 1. Quid sit irrissio & quale peccatum?

R. 1. Irrissio est ludus verborum ex proximi defectibus, ut erubescat sive est vitium, quo quis vel cachinnis vel verbis per modum ludibrii nititur alteri ruborem incutere; unde irrissio specie distinguitur à contumeliâ, quæ tendit ad læsionem honoris, à detractione, quæ denigrat famam, à susurratione, quæ justam amicitiam dissolvit, irrissio vero intendit pudorem & verecundiam causare.

2. Irrissio est peccatum ex genere suo mortale, si defectus gravis objiciatur in ludum & risum, unde aliis graviter offendatur & confundatur: cuius gravitas indicatur à S. Scripturâ Prov. 19. v. 29. parata sunt derisoribus iudicia. 22. v. 10. ejice derisorem, & exhibet cum eo iurgium, cessabuntque causa & contumelia. Ratio est: quia gravis irrissio gravein adfert contemptum & notabile bonum animi videlicet quietem & tranquillitatem tollit. Quo major autem reverentia debetur ei, qui irritetur, eò gravior est irrissio, & sèpè alterius speciei malitiam adjunctam habet, alias intrà lineam solius irrisionis omnes irrisiones sunt ejusdem speciei.

3. Irrissio est peccatum veniale, si malum, quod ex intentione solum leviter pudefaciendi refertur, sit leve, imò potest dari irrissio, quæ nullum sit peccatum

citum : quia potest aliqua erubescientia proximi intendi absque contemptu & dehonoratione illius per modum ludi & ad honestam recreationem aliquâ moderatâ irrisione ; opus tamen est magnâ prudenter in irrisione , quæ sit causa recreationis , cum facile committi possit peccatum grave ratione tristitiae vel erubescientie , quam derisus patitur , si sciatur alium ob aliquam apprehensionem vel animi pusillanimitatem graviter laturum irrisionem , que ob aliquid malum leve joci vel ludi causa objectum oritur.

Q. 2. Quid sit maledictio & quale peccatum ?

A. Maledictio est pronuntiatio mali contrâ aliquem optando vel imprecando. Hæc si fiat creaturæ rationali est peccatum mortale stantibus his conditionibus. 1. Siquis malum ex animo & intentione imprecetur. 2. Si fiat cum perfectâ deliberatione. 3. Si malum imprecatum sit grave. Quæ conditions cum sæpius omnes non adsint , maledictiones , quæ fiunt ex mala consuetudine in ira vel furore , sæpius à mortali excusantur. Si maledictio includat desiderium alicujus mali particularis , sumit suam speciem à malo , quod proximo desideratur , quia velle malum & actu inferre ad idem genus pertinent. Maledictiones , quæ fiunt creaturæ irrationali , quomodo hæc est incapax mali , ita & maledictionis , ideo sunt tantum peccata venialia ; si vero maledicatur eis in quantum deserviunt homini v. g. ut dæmon auferat alterius gregem , est peccatum grave juxta gravitatem materiæ ; si maledicatur eis , ut sunt à Deo factæ , est gravis blasphemia ,

Q. 3. Qualiter peccetur revelando secretum ?

A. 1. Peccatur contrâ justitiam revelando secretum naturale , quod scilicet ex natura rei sequitur : ut si quis casu vel industria novit peccatum alterius , peccat mortaliter revelando , si ex revelatione se-

quatur grave damnum proximi in fama vel divitiis ; quia per revelationem injustam secreti , ad quod quilibet ex naturâ rei habet jus , ut hoc servetur , causa fuit illorum damnorum ; aliud esset , si quis vi tormentorum vel metu mortis compelleretur ad secretum revelandum : quia tunc justam causam haberet illud revelandi , nec tenetur cum tanto suo incommodo illud celare , modo revelatio non cedat in damnum publicum , vel secretum non habeatur ex confessione , de cuius obligatione in tertia parte Disput. XXXVIII.

2. Peccatur violando secretum promissum sed non commissum , sive illud secretum , quod promisisti te servaturum illarum tantum rerum , quas præcisâ tuâ promissione licet poteras propalare , ut ex quibus nullum damnum fortunæ vel famæ est timendum , peccatur autem graviter , si promitemus intendebat se per promissionem obligare graviter ex justitia : quia talem obligationem sibi imposuit ; si autem tantum intendebat se obligare ex urbanitate , peccat venialiter , in dubio : an fuerit intentio graviter vel leviter se obligandi , pensanda est obligatio servandi secretum ex circumstantiis materiæ , loci , temporis , personarum , absolute tamen loquendo per hujusmodi promissionem censetur aliquis se non obligasse ad non loquendum ea , que licet potest silere : quia promissio de re illicita non obligat ; unde potest quis denuntiare defectum proximi , quem silere promisit , si aliter proximus emendari non possit.

3. Peccatur violando secretum commissum & promissum , quod tunc est , quando Petrus committit expressè vel tacite Paulo aliquid , ut servetur secretum , & Paulus expressè vel tacite promittit , se illud secretum servaturum , tunc inquam , Paulus

lus contrà datam fidem secretum alii manifestans peccat mortaliter contrà justitiam : quia non est nuda promissio, sed contractus quasi onerosus inter Petrum, qui commisit secretum servandum, & Paulum, qui promittit se secretum servaturum, excusator tamen saepius à mortali. 1. Ob parvitatem materiæ, si res sub secreto commissa non sit tanti momenti, ut possit inducere obligationem gravem. 2. Ob inadvertentiam vel imperfectam deliberationem. 3. Quando obseruatio secreti vergeret in damnum vel ipsius, qui commisit secretum, vel boni communis & reipublicæ vel alterius innocentis ; quia secretum non potest obligare contrà charitatem alteri debiām.

4. Absque sufficienti causâ aperiendo litteras clausas & signatas, vel apertas legendo, aut alia quæcunque secreta scripta inventa in scrinio, mensa, cubili vel alio loco similī peccatur contrà justitiam graviter : quia quilibet jus habet ad suum secretum, vel scriptis mandatum, vel verbis propalatum, vel factis executum, & patitur gravem injuriam, si ipso rationabiliter invito, secretum, quod sibi soli, vel tantum uni volebat esse notum, manifestetur aliis ; excusatur tamen à peccato. 1. Prælatus legens litteras sui subditi : quia utitur jure suo, nisi subditus mitteret illas ad superiorem Prælatum, vel hic ad subditum : has enim Prælato inferiori non licet aperire. 2. Quando datur consensus altem implicitus mittentis & accipientis litteras ; quia dominus secreti potest revelare illud, cuicunque voluerit. 3. Ob parvitatem materiæ, ut si in illis res continetur publica vel parvi momenti, vel litteræ speriantur absque damni notabilis periculo, vel ex causa sciendi nova & curiosa, vel videndi elegantem scripturam : quia per hanc nulli fit gravis injuria.

4. Rationabiliter credens, aliquid in litteris contineri, quod cedat in damnum grave reipublicæ vel proprium: quia utitur Jure suo se defendendo vel rem publicam indemnum servando, modò legantur tantum ex apertis litteris pertinentia ad finem, ratione cuius fuit licita indagatio secreti; sic licet aperire litteras capitalis inimici, hostium in bello justo, civium vel aliorum in urbibus obscessis vel obsidiendis: hoc enim expedit bono communi.

5. Denique peccatur abs sive sufficienti fundamento & causâ indagando secretum alterius, sive fiat verbo indagando ab his, qui secretum servare volunt & debent sive fiat facto insidiando per rimulas vel fenestras in occulto operantibus: quia quilibet Jus, ut ipse habet tantum suum sciat secretum vel alius, cui ipse voluerit revelare: ergo invito secreti Domino erit peccatum mortale cæteris paribus inquirere & explorare secretum.

Q. 4. Quid sit judicium temerarium?

¶. Judicium temerarium illud dicitur, quod de alicuius peccato vel defectu infamè concipiatur ex levibus indiciis: si enim ex justis & sufficientibus causis concipiatur, non est temerarium sed rationi consonum, tunc autem sunt sufficientia indicia, ut judicium à temeritate excusetur, quando pensatis omnibus talia sunt indicia, ut prudentem non præoccupatum virum ad tale judicem ferendum movere possint.

Ut natura temerarii judicij bene intelligatur.
Nota 1. Quod 4. inveniantur gradus in imputando alteri peccato. 1. Enim quis dubitare potest: an proximus sit defectuosus, quod fit tunc, quando utrumque propositis rationibus animus hæret suspen-sus nulli parti adhærens, & quidem si suspendat judicium de probitate alterius sine fundamento rationabili, est dubitas temeraria. 2. Potest quis suspicari cri-

men

men de altero , quod tunc sit , quando in alteram quidem partem deteriorem inclinatur , sed nondum absolute assentitur : non enim est assensus & judicium determinatum , dum est suspicio , sed solum aliqua inclinatio animi in partem deteriorem , & si hoc fiat absque sufficienti causâ movente , vocatur suspicio temeraria . 3. Est opinio , quæ dicit assensum alterius partis & judicium determinatum , sed vacillans & infirmum , de opposito formidinem habens : licet enim intellectus determinetur ad assensum , non tamen determinatur ad assensum firmum , sed relinquit formidinem de opposito . 4. Denique est judicium firmum , quod est assensus sine formidine , quando nimis quis ita firmiter judicat , ut interrogatus : an habeat pro certo alterius peccatum ? responsurus sit : sibi certum aut ferè certum videri , si verò ita judicet , ut responsurus sit , se non esse moraliter certum , sed facile posse in re illâ falli , tunc solum est suspicio , opinio vel dubitatio .

Nota 2. Judicium temerarium ex tribus potissimum capitibus oriri juxta S. Th. hic Q. 60. a. 3. 1. Ex hoc quod ipse judicans malus sit , dum qualis quisque est in se tales solet alios judicare teste Eccles. cap. 10. v. 3. *In viâ stultus ambulans , cum ipse insipiens sit , omnes stultos astimat.* Et ideo homines improbi facilius de altero improbitatem opinantur . 2. Ex hoc , quod aliquis male afficitur ad alium : unusquisque enim judicat , sicut est affectus , ideoque de his , quos diligimus , bene omnia judicamus , de illis verò , quos contemnimus , odio habemus , quibus irascimur , invidemus &c. facile ex levibus signis mala opinamur . 3. Provenit ex experientia , ideoque senes solent esse suspiciosi magis , quia longâ experientia sunt experti aliorum defectus ; licet autem hoc ultimum caput conducat ad temeritatem excusandam , non tamen omni-

nō excusat, priora verò duo capita potius eam aggravant: quia perversitatem affectus indicant.

Q. 5. Quale peccatum sit iudicium temerarium?

R. Esse peccatum ex genere suo mortale ut patet ex *Luc. 6. v. 17. Nolite judicare & non iudicabimini,* *1. ad Cor. 4. v. 5. Nolite ante tempus iudicare.* Ratio S. Th est: quia tale iudicium minuit rectam opinionem de proximo, illum contemnit, & injuriam infert pravam de illo existimationem habendo, & sine causâ eum damnando improbitatis. Malitia autem iudicii temerarii non consistit in hoc, quod antecedenter ad iudicium temerarium concipiendum quispiam cognoscat, se non habere fundamentum grave & prudens ad iudicandum malum de altero: eo ipso enim, quod iudicans reflectit se, fundamenta, propter quæ iudicat, non esse firma, incipit vacillare, & non habet iudicium sed opinionem; temeritas ergo in illo sita est, quod dum ob passionem iræ, odii vel invidiæ representatur alicui ut valde verisimile, quod proximus delictum commiserit, vel laboret infamia, cum posset & deberet presumere, illud fundamentum, quod ipsi appareat magnum, esse reipsâ leve, totamque illam apparentiam mali oriri ex ipsius passione vel malitiâ, attamen præcipitatione quâdam ferat sententiam contrâ proximum, & cum deberet considerare fundamenta, quæ dantur ad proximum absolvendum, unicè forsitan oculos mentis conjicit in indicia, quæ ipsum inducere possunt ad male iudicandum, & propterea experitur motivum vehementer impellens ad proximum condemnandum, ex quo tandem oritur, quod ex levibus reipsâ fundamentis pro certo habeat malitiam proximi; est autem indifferens, an ille, de quo iudicatur, sit mortuus vel vivus: quia mortuus vivit quantum ad honorem & famam, ideoque qui absque manifestis indiciis iudicaret, alium esse damnatum, graviter

DE DETRACTIO. CONTUME. & SUSURRAT. 95

ter peccaret, nec requiritur ad gravitatem judicij temerarii certum tempus: quia judicantis temerariè, quantum est in se, semper vult in illo judicio permanere, si quis tamen alium induceret ad judicandum brevi tempore, animo statim repellendi pravum judicium, non erit lethale peccatum; sic excusantur à gravi peccato, qui per jocum decipiunt aliquem generando in ipso pravam opinionem de altero, cum animo statim manifestandi veritatem: quia non inferunt grave damnum.

2. Ut Judicium temerarium sit mortale peccatum, requiruntur tres conditiones. 1ma Ut sit firmum & certum respectu certæ & determinatæ personæ, defectu cuius conditionis non erit mortale aliquod crimen judicare de indeterminata personâ: ut si videas mulierem velatam, & quæ sit ignores, si de hâc judices esse lascivam, non peccas graviter; ut neque si hominem à longè venientem, quem non agnoscis, judices esse furem: quia sic prudentum judicio nemini fit injuria, item si quis falsò judicet aliquid esse mortale v. g. Juramentum, tunc si videat Petrum jurare, & judicet illum peccare, non peccat: quia supposito illo errore judicio speculativo non facit Petro injuriam judicando illum peccasse mortaliter; si in domo aliquid sit perditum, non peccat graviter, qui judicat esse furto sublatum, dummodo determinatam personam furti non arguat. 2da Si temeritas sit tanta, quæ arbitrio prudentum ad gravem culpam sufficiat, defectu cuius conditionis non erit mortale, si quis judicet male de alio, quando habet indicia, quæ licet non sint sufficientia ad certum judicium faciendum, rem tamen ipsam faciunt verisimilem & credibilem cum magnâ probabilitate & sic sufficerent ad suspicionem: quia prudentum judicio non est tanta distantia inter moralem cestitudinem & magnam probabilitatem, ut

censeatur gravis injuria, si quod probabile est, certum judicetur. *3*ta Ut sit judicium de materiâ gravi; tunc autem erit materia gravis judicij temerarii ad mortale sufficiens, quando id, quod judicatur, si coram aliis publicaretur, esset sufficiens ad peccatum grave detractionis: judicium namque temerarium respectu detractionis se habet ut actus interior ad exteriorem.

Q. 6. Quid sentiendum sit de suspicione, opinione & dubitatione temerariâ?

R. Hæc non sunt peccata mortalia, licet sint de materiâ gravi, dummodo sit crimen ordinarium, quantumcumque sit temeraria & vehementis suspicio, non infertur tamen gravis injuria: quia non intervenit completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in judicium definitivum, neque per suspicionem destruitur, sed tantum minuitur habitualis æstimatio de probitate alterius. Quare S. Th. Q. 60. a. 3. in O. ait: *Primus quidem gradus videlicet suspicionis est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, Et hoc est veniale & leve peccatum* & S. Aug. tract. 90. in Joannem: *Et si suspiciones intelligere non possimus: quia homines sumus, iudicia tamen id est definitas firmasque sententias continere debemus.*

Dixi: Ordinarium crimen: quia gravissima & extraordinaria crimina ex levissimis indiciis suspicati grave est peccatum: ut si de viro religioso ex levi fundamento suspicer esse hæreticum, de honestâ matronâ quod sit saga. *Ratio est:* quia ægrius ferunt homines & magis offenduntur ex hujusmodi suspicionibus & dubiis in rebus gravissimis, quam si alii certum judicium de aliis gravibus delictis ordinariis haberent.

Q. ultimò Quomodo intelligendum sit dictum S. Th. Q. 60. a. 4. dubia in meliorem partem sunt interprecanda?

R. Hunc esse sensum: quod, cum utrumque sint moti-

motiva probabilia tam pro quam contra probitatem Petri, non liceat magis inclinare in illam partem, quæ est contrâ proximum: cum in dûbio nemo sit condemnandus aut dissimandus, sed oportet illum conservare in bonâ existimatione, quam ante apud nos obtinebat, vel suspendendo judicium, vel judicando ipsum esse bonum; quando tamen agitur de vitando damno, vel adhibendo remedio, dubia possunt in peiore partem explicari, non definiendo vel judicando, sed supponendo; non judicando proximum esse malum, sed per quandam suppositionem itâ se exteriùs gerendo, ac si alterius probitas dubia esset v. g. aliquis recipit in domum famulum, cuius mores ignorat, non potest judicare, illum esse furem, potest tamen se itâ gerere, ac illum cavere, ac si fur esset: quia hæc hypothesis, sicut non requirit veritatem, itâ nec argumenta & probationes: cum hypotheses nihil ponant.

QUÆSTIO IV.

An fama sit nobilior temporalibus?

DICO. Inter res temporales videtur fama esse pretiosior. S Th hic Q. 73. a. 2. O.

Probatur: Eò bona exteriora sunt nobilia vel pretiosiora, quò magis accedunt ad bona spiritualia, quæ sunt bona animæ, cum enim anima sit nobilior corpore, etiam bona pertinentia ad animam sunt nobilia his, quæ pertinent ad corpus; atqui fama magis accedit ad bona spiritualia: cum vera fama in virtutibus fundetur. Ergo; huc facit illud Prov. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multæ.*

Confirmatur: Fama nobiliori modo acquiritur, quam res temporales, sive bona fortunæ, quæ labore & industria corporali acquiruntur, cum fama virtutum exercitio compatetur; nobiliores quoque sunt

2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. G famæ

famæ & boni nominis effectus, quippe per famam tum prodest homo aliis, quos ad virtutem incitat, tum sibi, dum à vitiis aestimatione bonâ, quam apud alios habet, retrahitur, cum divitiis saepe abutatur ad malum.

Obj. 1. Bonum instabilius est minus nobile, sed fama est bonum instabilius divitiis; cum consistat in bona existimatione hominum, quæ facillimè mutatur.

R. Fama est bonum instabilius ex parte fundamenti, in quo fundatur, quod sunt virtutes N. ex parte subjectorum, ad quæ diffunditur Con. divitiæ autem sunt instabiles ex parte fundamenti, cum sint pluribus causibus fortuitis obnoxiae.

Obj. 2. Vita est nobilior famâ; ergo etiam bona fortunæ, quæ sunt accessoria vitæ; eò quod sine his vita conservari non possit.

R. Negando consequentiam ad probationem dico: quod sicut sine bonis fortunæ vita physica non subsistit, ita sine fama non subsistit vita moralis sive homine digna, sicut igitur nobilior est vita homine digna, quam sit vita pure physica prout est homini cum brutis communis, ita etiam nobilior est fama ad hanc vitam pertinens.

DISPUTATIO XXIX.

De Restitutione.

Restitutio est actus proprius justitiæ, quo præstamus, ut aliis iterum habeat rem suam, quæ penes nos est, vel cuius ablationis injusta causa sumus. Præcipitur hic actus præcepto formaliter & explicitè affirmativo, quatenus est obligatio ad aliquem actum positivum videlicet ad repositionem alterius in pristinum statum, radicaliter tamen & implicitè hoc præceptum est negativum, quatenus præceptum restitutio-
nis radicatur in præcepto de non retinendo alieno; hoc ipso